

deratissimum studium, & erga Rever. & Clariss. Dn. D. VA.  
LENTINUM SCHACHTIUM, virum multis fractum  
curis & laboribus, observantiam declararem; partim ve-  
rò miserabilem Academiae nostrae faciem, justo doloris  
sensu affectus deplorarem. Eam namq; intuens, tempe-  
rare mihi non possum, quin querulam hanc vocem eum  
Jeremia emittam. *Factus est Dominus velut inimicus; pupil-  
li facti sumus absq; patre: matres nostrae quasi viduae: defecit gaudi-  
um cordis nostri, versus est in luctum chorus noster: cecidit corona ca-  
piti nostri: vae nobis, quia peccavimus.* Etenim pestis non tam  
saevitia quam metu, coetum nostrum ad summam cerni-  
mus redactum esse paucitatem: & hujus (ô malum)  
inclementiam lucidissimam istam Academiae nostrae faciem  
LOBECHIUM extinctam non sine dolore recordamur.  
Vix semestre est, quando politicus provinciae hujus status  
discessu Principis Illustrissimi & laudatissimi, Domini  
VLRICI Ducis Megapolitani, & c. patris patriae, Eccle-  
siae & scholarum nutritij benignissimi, cujus anima sit in  
benedictione aeterna, mirum in modum fuit concussus:  
nunc Ecclesiastico Vulnus est infictum prorsus insana-  
bile. Tangit nimirum nos divina illa & gravissima a-  
pud Esaiam comminatio, qua Principem & Prophetam  
e medio populi se sublaturum dominus minatur: quo  
malo Ecclesijs & Rebus publicis nullum potest esse no-  
centius. Ut enim navis certo ac fideli destituta guberna-  
tore facilimè subvertitur: ita nec Ecclesia diu salva, nec  
Respublica firma esse potest, si gubernatorum docto-  
rumq; idoneorum praesidio orbetur.

O ergo funestum illum & luctuosum diem, qui LOBE-  
CHIUM nobis eripuit! illa aetate, quae ad res recte agen-  
das maximè erat idonea: illo animo, qui volebat de o-  
mnibus, imprimis vero de schola & Ecclesia Christi,  
mereri

Thren. 2. 5.

Et 5. 3. 15.

Et 16.

Esa. 39.